



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsaris|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Optimo atque doctiſſimo viro Nicolao Borbonio Vandoperano Ivliivs Cæsar
Scaliger S. D. LXXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

Optimo atque doctissimo viro

NICOLA O B O R B O N I O

V A N D O P E R A N O I V L I V S

C Æ S A R S C A L I G E R

S. D. LXXXIIII.

Q V O D semper atque inprimis obseruan-
 dum mihi fuit, vt omni officio siue li-
 terarum, siue ciuilium munerum doctissi-
 mum quemque profecerer: id me tu per-
 petuo cogitantem, Nicolae Borboni, quo-
 minus efficerem, humanitate tua praeueni-
 sti. Qui cum studiorum meorum aliquot
 monumenta isthuc missa offendisses, non
 solum exactissimi iudicii tui censura rece-
 pta voluisti, verum etiam digna iudicasti,
 quæ totius posteritatis æterna memoria
 consecrarentur. Quare factum est, vt quod,
 aut ab ingenio meo, aut ab instituto offi-
 cium vltro proficisci debuisset, id nunc
 tuo beneficio prouocatus, quoquo sane
 modo possim, facere compellar. Itaque
 quod tu ignoto mihi, atque virtutis igna-
 ro tuæ, humanitate summa tribuisti, id
 ego tibi meritorum erga me tuorum ma-
 gnitudine noto, atque debitum agnoscenti
 meum, non impari saltem æmulatione re-
 ponere debeo. Non quod parem hanc be-

R 5

neuolentiæ

nevolentia atque gratia tua operam putem. Sed qui te humanissimum comperissem, ita ceterorum quoque humanitatem, non rerum amplitudinem perpendere debere semper iudicaram. Elegias igitur ad te meas muneri mitto, utinam ne oneri. in fausto illas quidem titulo, sed nimis vero tamen: ut vix tanti deploratae illae sedes, atque imagines, vel mihi ipsi videantur. Ceterum ut suum cuique ingenium, ita qua virtute, quoque vitio contegatur, oratione tandem ipsa effertur in lucem. quo minus mirum fuit, humanum ingenium, quod ad difficilissima quæque, vel minima commoditatis specie permouetur, tantis rebus accisis commoueri. Addidi & Heroicum in nunquam satis laudatam semper virginem, quod olim inchoatum pollicitus fueram. ut cuius pietas an eruditio maior esset, dubium erat, is ex munusculis nostris, aut æqualis censurae laborem, aut paris voluptatis fructum reportaret. Vale. Calendis Decembr. ex Agenno. M. D. XXXIII.

IULIUS